



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Ad Sapientiæ Amatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)



AD SAPIENTIÆ AMATORES.

ORGANVM Aristotelis omnibus doctum, plurimis obscurum, & Tyronibus difficillimum semper visum est: Philosophus, hanc Sophiæ partem ad cæteras scientias comparandas maxime necessariam, clariùs & ferè sine caligine tractare potuisset; sed vt cunctos nobilissimæ scientiæ insolentes inimicos à lectione illius abstergeret, Organum veluti in ænigmate & sub densissima nube tractandum suscepit, vt isti Garruli inde maximæ temeritatis, insulsæ ignorantiæ, & summæ insipientiæ notâ, dum de illo male loquerentur, statim radiarent. Sed vt quod sentio, dicam, nescio prorsus quo Fato hodie euenit, vt pristinam & antiquam Logicæ obscuritatem Doctores omnes veluti nautæ scopulos Scyllam scilicet & Charybdim vitare omni studio conentur; ita vt qui clariùs præ cæteris de illa loquutus fuerit Brauium, Palmam, imo & Coronam Doctrinæ referre meritò existimetur: Nescio vtrum sit ad iuuandam ingeniorum teneritudinem Pondus tam obscuræ doctrinæ valentium minime ferre propter præmaturam ætatem, vel si maturam, propter ingeniorum crassitiem & hebetudinem: vel an sit ad ipsammet obscuritatem, originem, & errorum ferè omnium veluti matricem fugiendam. Fateor me plures legisse Philosophos, & iis aliquantulum pro paruitate ingenij mei me inuoluisse, sed ex omnibus qui stant hodie, iste vnus præ millibus est; habet enim aliquorum eloquentiam, etsi ipsemet Author illam fugere in votis, & vt operæ pretium semper habuerit: methodum nonnullorum facillimam & hætenus apud omnes Philosophos confusam, habere gloriatur: Claritatem in quæstionibus vel stabiliendis, vel proponendis, vel dissoluendis præ cæteris sibi vindicat: noua Philosophorum tum recentium, tum veterum insulsa commenta mirâ facilitate & summo ingenij Acumine refellit, impugnat, & funditus eradicat: Bonam Philosophiam de se (nisi isti noui scioli passim insurgerent) satis firmam, fortiter multis demonstrationibus communit, atque corroborat; qui legit Theologiam istiusmet Authoris nuper Editam, cum De Deo tam sanctè: De Trinitate tam acutè: de Angelis tam doctè, &c. tractauerit; statim innata (vt ita dicam) propensione ad illius subtilissimæ Philosophiæ lectionem se accinget. Nam si Theologia suam satis commendat Authorem; Philosophia in qua docenda, & in dies multis observationibus lucrosissimis diranda, triginta & amplius annis insudauit; Philosophia (inquam) quam, dum viueret præ cunctis operibus suis tenerrimè amabat, illum Posteritati, tanquam alium Aristotelem commendabit.

DEIHODG

Fastidio sint igitur vobis illustrissimi sapientiæ amatores alij Philosophi, iste vnus cum Philosopho sit vobis familiaris & amicus, Aristoteles sub densissima nube multa tradit & R. P. DE RHODES Arcana quæque non solum discutit, sed suâ peritissimâ dicendi facultate mirum in modum illustrat: abstrusissima doctè dissoluit, elucidat, imo clarissima reddit: si Sagaciæ Philosophiæ amantissimi sitis, nolite quærere Albertum Magnum qui suis magnis voluminibus Curiositatem vestrâ ingenio acuto & subtili maximè dignam minueret; Scaligerum qui Cardanum hac in re, sicut & in cæteris omnibus tanquam mendacissimum reprehendit, nolite consulere, quia & ipse falsitate & mendacio sæpius conuincitur: Cardanus in tractatu de subtilitate multa curiosa proponit, sed nullis, vel si aliquibus; minutissimis saltem rationibus stabilit, & certe à suo Aduersario tam acerrimè impugnatur, vt ad metam non loqui, etsi non tacuerit, sicut Actiones quas fecit, in calumniatorem ostendunt, sed quia debilissimæ, ad metam (inquam) non loqui fere redactus est. Sufficiat tibi igitur, sapientissime Lector, vnicus cum Philosopho Dē RHODES, situm tuam abunde solus extinguet, & intellectus qui vltiora scire semper & semper quærît, Pharo, (sic suam Author secundam Philosophiæ partem appellat) illius amplissima & subtilissima satis illuminabitur. Excellit igitur iste Philosophus in Organo Aristotelis elucidando, excellit, imo & radiat in Physicis, Acutissimus est in sagacibus quæstionibus, & profundissimus in Metaphysicis pertractandis: quidquid enim de VNO, VERO, & BONO dici potest à R. P. DE RHODES dicta sunt, sed non solum dicta, sed subtilissime pertractata, ita vt illius Philosophia si Aristotelis excipias parem adhuc non habeat; clariorem reperiri non liceat & subtiliorem excogitare Philosophi à multis sæculis forte non valebunt. Hæc ad sancti viri commendationem dicere non præsumpsi, satis extat Posteritati, Charus suis virtutibus, quibus dum viveret, claruit; apud Doctos iam suum nomen suis operibus abiit commendatum, & tanquam noua Rhodia Pharus, ipse DE RHODES apud Doctissimos Nepotes facem præbens eis qui vadam Philosophiæ iu-cundissimum transgredi conabuntur, & non solum facem præbens, sed sicut Sol nouus indoctorum illuminans Oculos semper habebitur: hæc (inquam) dixi vt verissimum sapientibus de Philosophia R. P. DE RHODES testimonium (quamuis nullus sim) sine adulatione vlla humiliter darem; hac etenim admonitione feci vt solent Oenopolæ qui vino optimo & admodum vendibili hederam ferè neglectam & haud quaquam virescentem suspendunt: valete, faxit Deus maximus vt fructum ex lectione istius Clarissimi Operis ad illius honorem tanquam ad scientiarum omnium Dominum semper referatis.

Vobis addictissimus,

A. B. Presbyter Theologus.

PRIUI